

recentiores ipsorum sequaces ipsum, emolliunt, docentes, aquæ mixtionem cum vino rem esse liberam, & indifferenterem, quæ nec præcipi debeat, nec prohiberi, quod asserit Chemnitius in examine Concilii Tridentini, part. 2. sess. 22. cap. 7. & can. 9.

Quarto, fuerunt alii, qui dicebant, tantæ necessitatis esse aquam in Eucharistiæ Sacramento, ut sine ipsa confici Sacramentum non possit. De his loquitur S. Bernardus epist. 69. ad Guidonem Abbatem, & eadem sententia tribuitur, ut testatur Tournely, Armacano lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 9.

Venientes modo ad Scholasticorum opiniones, sunt ex iis, qui docent, præceptum miscendi aquam cum vino non tantum esse ecclesiasticum, sed pariter divinum; tribuitur hæc sententia Alexandro de Ales, quarta parte, quæst. 10. memb. 4. articul. 1. Hosio in Confessione Catholica, cap. 14. & Alphonso a Castro adversus hæreses hæres. 7.

Secundo, Thomas Valdensis, tom. 3. de Sacramentis titul. 4. cap. 31. num. 10. vult, de aquæ mixtione nullum esse divinum præceptum, nullum præcessisse Christi exemplum, sed Ecclesiam illum induxisse usum propter aquam, quæ a latere Christi emanavit. Durandus in 4. dist. 9. quæst. 5. scribit, incertum esse, an Christus aquam vino miscuerit.

Tertio, alii Scholastici docent, aquam non esse necessariam ad Sacramenti substantiam; esse tamen adhibendam ex præcepto ecclesiastico, & non divino; quod quidem præceptum ecclesiasticum habet fundamentum in facto, & exemplo Christi.

Dicimus I. de fide esse, Vinum esse inæquatam Sacramenti Eucharistiæ materiam.

I. probatur Conclusio ex Scripturis veteris testamenti; & signanter ex figuris, quæ in veteri testamento præcesserunt ad significandum sacrificium Eucharisticum, tanquam dominicæ, passionis commemorativum. Et hoc argumentum late prosequitur Cyprianus in Epistola ad Cæcilium, cujus verba exscribimus. Loquitur Sanctus Martyr de facto Noe, Invenimus & in Genesi Sacramentum, circa Noe hoc idem præcurrisse, &

figuram dominicæ passionis illic extitisse, quod vinum bibit, quod in domino sua nudatus est, quod fuit recubans nudis, & patentibus femoribus; quod nuditas illa Patris a medio filio denotata est, & foras nunciata; a duobus vero, majore, & minore contenta; & cætera, quæ necesse non est exequi, cum satis sit hoc complecti, quod Noe typum veritatis ostendens, non aquam, sed vinum biberit, & sic imaginem dominicæ passionis expresserit. Prosequitur S. Martyr hoc ipsum probans ex figura Sacrificii Sacerdotis Melchisedech: In Sacerdote Melchisedech Sacrificii dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, & dicit, Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum... quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus Sanctus in psalms ex persona Patris ad filium dicens, ante Luciferum genui te, juravit Dominus, & non pavitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech... Ut in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham possit rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii, in pane, & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens, & implens Dominus panem, & Calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imagis adimplevit. Pergit S. Pater, idem probans ex illo, quod legitur Proverb. 9. Sed per Salomonem Spiritus Sanctus typum dominici sacrificii præmonstrat, immolata hostia panis, & viui, sed & Altaris, & Apostolorum facies mentionem, sapientia, inquit, mactavit suas hostias, miscuit in cratere vinum suum, & paravit mensam suam; & misit servos suos convocans tum excelsa prædicatione ad craterem, dicens. Qui est insipiens declinet ad me; & indigentibus sensu dixit, venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis. Quæ verba sic exponit Cyprianus; Vinum mixtum declarat, id est Calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce denuncians, ut appareat, in passione dominica id esse gestum, quod fuerat prædictum. Benedictionem a Jacobo Judæ filio datam, deinde sub-